

terq; dixi Iudices, ea confido probata esse omnibus:
quæ non fori, neque judiciali consuetudine, & de homi-
nis ingenio, & communiter de ipsius studio locutus
sum, ea Iudices, à vobis spero esse in bonam partem ac-
cepta, ab eo, qui judicium exercet, certè scio.

ORATIO PRO T. ANNIO MILONE.



*S*si vereor Iudices, ne turpe sit, pro for-
tissimo viro dicere incipientem, timere,
minimeq; deceat, cum T. Annus Milo
ipse magis de Reipub. salute, quam de
sua perturbetur, me ad eius causam pâ-
rem animi magnitudinem afferre non posse: tamen
hæc novi judicii nova forma terret oculos, qui quocun-
que inciderint, veterem consuetudinem fori, & pristi-
num morem judiciorum minimè vident. non enim co-
rona confessus vester cinctus est, ut solebat: non usitata
frequentia stipati sumus. nam illa præsidia, quæ pro tem-
plis omnibus cernitis, et si contra vim collocata sunt,
afferunt tamē oratori horroris aliquid, ut in foro, & in
judicio, quamquam præsidii salutaribus, & necessariis
septi sumus, tamen ne non timere quidem sine aliquo
timore possimus. quæ si opposita Miloni putarem, cede-
rem tempori Iudices, nec inter tantam vim armorum
existimarem oratori locum esse. sed me recreat & re-
ficit